

28.
12.

Quod Deus bene vortat!
DISPUTATIO MEDICA
DE
AMBUSTIONIBUS,

quam
sub Praesidio
VIRI

Amplisf. Excell. Experientisf.
DN. CHRISTIANI LANGII,

Phil. & Med. Doct. famigeratisf. Facult. ejusd. Seni-
oris, Pathol. PP. Academ. Decemv. & Maj.


PP. Coll. Collegiati,
Patroni & Praeceptoris sui honoratissimi,
Publicae Doctorum subjicit

Censurae

M. PAULUS Amman / Vratisl.

H. L. Q. S. ad d. 17. Decembris

MDCCCLXXIX.



LIPSIÆ

LITERIS BAUERIANIS.

Chirurg.

7828

Chirurg.
210.

J. L. Zentgraf

DISSERTATIO MEDICA

ALBERTUS THOMAS

de

libris

CHRISTIANI HANGLI

Medici Doctoris et Publici Professoris

in Medicina et Chirurgia

in Universitate Lipsiensi

Publici Professoris

in Medicina et Chirurgia

in Universitate Lipsiensi

Publici Professoris

in Medicina et Chirurgia



Prooemium.

Dignis naturam, quiritè, & ex Lumine natura poterit explicare, multas omnino, quibus hodiernum plerique urgentur Physicorum, è medio tollet difficultates: Verùm n: vero vereor, ut sit in viribus humanis, beneficio nudæ Contemplationis, mirabilissimam hujus elementi naturam intimius pernoscere. Multi quidem multis abhinc annis in eo jam fuerunt occupati, nihilo tamen minus effecerunt: nam æquè, ut antea dubium est, an Δ is sit substantia, vel accidens, quod posterius, uti notum, non contemnendis sane argumentis voluit Th. Fienus. Hinc quilibet suam pro palat sententiam, nullus tamè rei indagat essentiam, ejusq; ex voto consequitur nucleum. Philosophi per Δ em exercitati, seu Pyrotechniæ Magistri, ut hodierno tempore se vocant, nec immeritò sic vocantur, Chymici, plurima demùm ex sapienti Δ is regimine, & gradibus caloris in extrahendis, lege Magisterii sui, rerù Essentiis & centralibus earundè virtutibus eliciendis observarunt, & sub patrocinio nunquam satis laudandæ experientiæ adinvèerunt, ut cū Helmōtio absq; hesitatione fortassis asserere, ac digito veluti monstrare queamus, Δ è esse plus quàm accidens, & minus, quàm substantiam; adeoq; Creaturam singularem, nulli tamen alteri secundam, sed ad magnos magnificosq; mortaliū usus concessam. Unde etiam nec aberrasse jam laudatum Auctorem censemus, dum Δ em nuncupavit visibilè mortem, in manu artificis magnalia præstantem, quando quidem solus Vulcanus sit, qui, docente P. Joh. Fabro, naturam universalem & particularem referat, referat amq; claudit: Ut ut a. naturale ingenium, & peculiare judicii acumen Philosophus habeat, nunquam tamen ad rerum naturalium radicem, aut radicalem scientiam admittetur sine Δ e, neq; opinionum varietates declarare poterit, nisi ad miniculo Δ . Nihil adeò hominem sciendi avidum, penitus ad omnium scibilium cogni.

gnitiones ducit, quàm Δis, utpote cujus consideratio feliciter pandit naturæ januam, totamq; splendida virtutis Luce illuminat philosophiam. Sed mittimus aurcola alia, quæ circa Δis majestatem hac occasione adduci commode possent, atq; potius ad disputationis nostræ institutum progredimur, acturi nempe de Δis, vel rerum ignitarum operationibus, quibus, potentie suæ relicte, nostro quoq; corpori sua imprimere solent vestigia, vel uno verbo: de ambustionibus, qui affectus, uti rarus non est: ita celerem, prudentem, atque jucundam requirit curationem; cui accedit, quod nullam adhuc de Ambustis disquisitionem academice palæstræ submissam, quantum nobis quidem constat, viderimus. Sistimus itaque B. L. Theses quasdam de hac materia, quarum dignitatem non metietur paginarum numero, sed utilitate, qua se, præsertim si partem therapeuticam spectes, commendare solent. Methodi gratiâ totam disputationem tribus includemus capitibus, quorum. 1. quidditatem. 2. signa. 3. curationem continebit. Quod, ut fiat feliciter, & aliquando in plurimum egrotantium salutem, Deus Ter. opt. Max. benignè juvet!

CAPUT PRIMUM DE QUIDDITATE Ambustionis.

§. 1. Nemo nobis vertet vitio, si, quod alii statim in frontispicio disputationum, faciunt, hac vice omiserimus, *criticam* scilicet nominalis definitionis evolutionem; quam, ut non omnimodè improbamus: ita facilè ob copiam florum elegantiorum h. l. in philologia messem nostram possemus falcem immittere, si præsertim *etymologiam* & *homonymiam* percurreremus. Tunc n: quærendum, undè verbum *amburo* descenderet? item: quod per *ambustas* fortunas, *ambustam frontem* intelligendum, qualisvè ellipsis in voce *ambusta*, latitaret? sed, uti dictum, præterimus hæc, & hujus commatis alia, lubentes, non quidè ac si rerum philologicarum essemus osores, aut, ac si nesciremus, quale commodum ex critica nominum enodatione et elegantioris doctrinæ hoc apparatu ad disputantes redundare possit; sed id ipsum his poti-

us

us fit de causis: quia (1.) hæc ad aliam spectant cathedram (2.) h. l. à nobis rite & debite non possunt pertractari, nisi medicum critico vellemus circumdare schemate. Propterea à hisce muniti excusationibus, non ita difficulter veniam forte promerebimur. Hoc saltèm de hoc nomine addemus, quod de internis viscerum intemperiebus, seu inflammationibus, id usurpari soleat, præsertim quæ ab acidis, nidorulentis, vel causticis humoribus proveniunt: sic in ὄξυρευμία ventriculi concurrere non rarò consuevit, σύγκαυμα τῆς κοιλίας, vel *Combustio ventriculi*. Et quis vetabit tandem, practicos omnes aliarum partium, v. g. epatis, lienis, &c. inflammationes, hac voce indigitare?

§. 2. *Res ipsa* nunc à nobis ponderanda & in quo *natura ambustionis* quærenda, discutiendum est. Et quidem prima frontè, ut in aliis affectibus fieri solet, hic ex *physiologia de parte affecta* nobis foret agendum: verùm quoniam non una determinatè, sed indeterminatè omnes hoc morbo affici aptæ sunt, illud non solum prolixum, sed, ut opinor, foret superfluum. Idcirco sine ambagibus pathologorum pulsabimus fores.

§. 3. *Ambustionem* ex rerum p. n. numero, item *morbum, non symptoma* esse, apud omnes in confesso est. Qualis autem *morbus* sit, *an similis, vel communis, an unq. vel complicatq.*, non immeritò dubitatur. In hoc enim curationis cardo ferè omnis, ut ex dicendis patebit, vertitur. Hæc ut resolvamus, considerandæ sunt res $\Delta\tau\alpha$, vel generaliter loquendo, *amburentia*. Hæc non solum in se habent calorem intemperatum, & p. n. in respectu ad partes, quas lædunt, sed insuper etiam ob effervescentiam & ebullitionem, vim ἐλκωτικήν s. *exulcerativam*. Ex quibus jam patet responsio: scil. *amburentia* ratione *caloris*, intemperiem, solvendo *cōtinuum*, inducunt, deindè ratione *potentiæ exulcerativæ, unitatem* infringunt, ut communiter dogmaticis distinguere placet. Hinc, ut illi *errant*, qui *ambustiones* solùm pro *morbo similari* habent (quod si maximè verum esset, verificaretur tamen de primo gradu tantum) sic & isti nequaquam audiendi, qui in *ambustionibus* solùm *morbum communem* admittunt. Ex methodo enim medendi longe apparet aliud. A 2 §. 4.

§. 4. Nec refert, *Autores*, qui de hoc malo ex professo egerunt, puta *Hildanum*, *Paræum*, & *Chirurgos alios*, non definivisse per morbum compositum. Nam nudæ sunt *Authoritates*, quæ nihil probant, vel aliquem adducunt, ut credat: possunt tamen salvari hac ratione, quod scilicet quia intemperies impressa, ulcere factò, minus urget, ambustiones solùm habitò respectu *ad ulcus*, voluerint definire, sicut in medicinâ persæpè fieri consuevit, ubi, licet *intemperiei* nulla fiat mentio, non tamen ad omnimodam ejusdem fas est argumentari exclusionem.

§. 5. Recte proin *Cl. Senn.* & *alii* cum eo fecerunt, qui *ambustiones ad morbos solutæ unitatis*, & in specie ad *ulcera* retulerunt, ne verò quis calumniandi exinde rapiat ansam, si *ambustio per ulcus* aliquod definiatur, hanc *definitionem* esse latiore suo definito, quia primus gradus *ambustionis* (ut deinceps auditur) est vel esse potest *sine exulceratione*, ideò placuit *Hildano*, ex genere remoto unà cum differentiâ specificâ talem construere definitionem: *Ambustio est solutio continui* (non incommode adderetur etiam, unitatis interdum) *epidermidis & cutis ut plurimum, non nunquam carnis musculosæ, subjacentium venarum, arteriarum & nervorum vi Δis, & Δtorum, impressa.* Vel: si putas, hanc *dogmaticorum* esse insufficientem, & naturam hujus rei vix exhaurire, talem eamque *spagyricam*, ex *P. Jo. Fabri* monumentis potes excogitare: *Ambustio est ulcus factum à causis semper externis, quæ Sal balsami naturalis in partiū externarū poris residens, desiccare, coagulare, & calcinare valent.*

§. 6. Hæ definitiones an toto cœlo discrepent, impræsentiarum disceptare nolumus. Nam tota controversia huic innititur quæstioni, *an humores possint esse causæ morborū?* Prout hæc resolvitur, ità statuunt communiter. Qui putant humores esse naturæ elementaris, & omnibus insuper privatos qualitatibus, negant, & *ὀχήματα* causæ morbificæ esse, asserunt. Ast illi, qui pro qualitatibus præter elementares, in iisdem contentis, pugnant, affirmant *ζήνημα*, & *ulcera spagyricorum* fontanea ceu vocant, inter alia, pro argumento habent. Sed quicquid sit: humores

ut

ut sic & quat: vehiculi officio funguntur, nunquam possunt esse immediata morborum causa. Realiter itaque non differunt. Sed consideremus utramque paulo accuratius!

§. 7. *Dogmaticam* quod spectat, puto eandem esse clarissimam, nisi aliquis eam exinde velit vituperare, quod genere constet remoto. Ast hæc scholastica sunt, & superius tribus jam refutata. Deinde non etiam necesse est, multa de epidermidis, cutis, & aliarum partium constitutione vel natura præfari, quandoquidem hæc & alia ex anatomicis hinc præsupponuntur. Data verò occasione placet hinc modum & ordinem, quò amburentia partes lædere solent, & subsequencia symptomata non nihil considerare. Scilicet simulac Δ ta, vel ferventia, partes corporis nostri contingunt, primò intemperiem, seu inflammationem vel empyreuma, deinde dolorem, tandemque pustulas & exulcerationem excitant.

§. 8. Dolor omnis, quâ ratione à calidis soleat induci secundum dogmaticos, notum est: videlicet, non tantummodò ratione violentæ alterationis, ceu quidam volunt, sed potissimum, quò solvendi continuum habent potentiam. Novi quidem *Galenum* sæpiusculè aliquot in locis definivisse dolorem per alterationem, verum hæc verba potius exegetica sunt, quàm formalia, ut sic loquar: quia enim in dolore à primis qualitatibus, manifestior est alteratio, & solutio continui obscurior; in dolore verò à secundis qualitatibus contrarium apparet, eundem ita nominare, & discrimen quasi causarum dolorem efficientium, demonstrare voluit.

§. 9. Progrediente caloris activitate (tam citò enim vix tolli queunt amburentia, imò si illicò tollantur, nihilominus tamen illud agens externum patienti qualitatem istam noxiam imprimit) rapidâ vi cutem vel subjectas partes actutum exsiccat, corrugat, & condensat, ubi postmodum nova fit doloris accessio, & hanc subsequens sive utilium, sive inutilium humorum attractio, secundum nempe illud tritum axioma: *ubi dolor, ibi affluxus*. Tam famigerata \approx : naturæ est benignitas, ut partibus laboran-

dorantibus auxiliatura copiosius statim transmittat, cum hu-
 moribus Sp. influentes, cum quibus postea non possunt non
 humores quoque vitiosi, si qui redundant, confluere, unde per
 accidens postea non pauca incommoda succrescunt. Solent tamē
 & hic certi observari gradus, in levissimā enim adustione præter do-
 lorem, aliqualem ruborē, & levissimā intemperiem, nihil solet apli
 esse conspicuum; ubi verò Δ ta penitus sese insinuarunt, accu-
 mulati præ dolore humores sese sub epidermide detinent, eam
 que, quoniam ob Δ is vehementiam ἀδιάπνευστος facta, in altum
 elevant, sicque pustulas progenerant, non secus ac pyrotica
 medicamenta, quibus vesicas certis in partibus interdum exci-
 tamus. In extremā tandem *ambustione*, ubi non solum cutis,
 sed & partes carnosæ omnes unā statim actione in escharam sunt
 induratæ, omnes humores sive naturali, sive præter naturali or-
 dine ibidem collecti, vel attracti, propter cutis duritiem incarce-
 rantur quasi, undè calor præternaturalis impressus partibus,
 augmentum arripit sensibile, illudque colluviei ibidem stagnan-
 ti communicat, quo facto, ebullitio & fermentatio accidit sum-
 ma, quæ deinceps omnia erosionis & exulcerationis interdum
 δυσία⁷8 causæ sunt.

§. 10. Hæc sunt, quæ *Dogmaticorum* scholæ de ambustio-
 nibus breviter solent docere. *Spagyrici* profundius paulò na-
 turæ penitralia perscrutantes, non quidem planè diversas, alias
 tamen, & rei præsentis magis accommodatas producunt causas.
 Hi enim ut in balsamo naturali, constante ex triplici substantia,
 ac principio, Θ e Ψ o & Φ e, totam hominis sanitatem & vitam
 collocant: ità ex corruptione vel alteratione hujus, varios de-
 ducunt morbos, ipsissimam denique mortem. Tota hæc do-
 ctrina, digna omninò videtur accuratâ cognitione, ideò in gene-
 re de ulcerum causis ex mente *Chymicorum* hic aliquid præfa-
 bimur.

§. 11. *Sal Balsami naturalis* sive *arbei*, uti alii vocant, quam-
 diu conjunctum manet reliquis principiis, putà Φ i & Ψ io, tam-
 diu etiam sanitas & integritas vitæ consistit; simulā verò levis
 ali-

aliqua alteratio, vel separatio cōtingit, à quacunq̄ue causâ etiam fiat, mutari necesse est. Interdum enim solùm incalescit vel multiplicatur, interdum coagulatur, desiccatur, & planè calcinatur. In istâ verò calcinatiōe vel desiccatione eōstat acquiri corrosivam & causticâ potentiam, quam deinceps partibus imprimere, & sic gravissimos dolores, ac ulcera inducere potest, prout illis etiam, qui in operationibus chymicis exercitati sunt, notum est, res scilicet quasdam calcinando acriores fieri: sic ⊕ crudum, sic ♁ crudum, minus acria, & minus caustica sunt calcinatis.

§. 12. *Causæ ulcerum à Spagyricis dividuntur in antecedentes & conjunctas.* *Conjuncta* (quæ & proxima hîc posset dici) est ⊖, qui reperitur in ulcere, faciens solutionem continuitatis: *ille* iterum in *internas & externas* subdividuntur. *Interna* est ⊖ *balsami naturalis*, qui separatus à *balsamo naturali*, calore sui ipsius, aut alterius agentis externi desiccatur, & calcinatur, aut, uno verbo, corrumpitur, in qua calcinatione seu corruptione acquirit vim solvendi continuum. *Externa* sunt, quæ ⊖ *balsami vel ulceris* disponere possunt ad desiccationem aliquam, vel etiam præ-existentm dispositionem adaugere, & hæ sunt vel *mediate vel immediate*.

§. 13. *Mediate* sunt (1) *astra*, quæ *Balsamo vitæ* prædominantur, & interdum ⊖ *balsami*, in terdum ♁ *ur*, vel ♀ multiplicat, interdum etiam ⊖ *partis alicujus privatae* calcinant, undè postmodum variæ ulcerum species emergunt; quæ tamen sidera, & eorum adspectus magis inclinare, quàm necessitare existimamus. (2.) *Motus*, non quidem solum corporis, ut quidam putant, sed etiam *animi*. Si enim, dum corpus cursu vel saltu nimio agitur, balsamum naturale suprâ modum calefieri, & ex hac calefactione multiplicatio ⊖ *balsamici*, hancque insequi potest calcinatio: ex quo ⊖ *e* dein calcinato, in partibus pro *diversitate acrimonia*, ulcus produci potest; cur nō etiâ ab *animi* pathematis tale quid fiat? cū eadem, imò interdum longe majori potentia balsamum istud vitæ afficiant. Videlicet, ut clarius adhuc id exponamus, certum est, in motu tam corporis, quàm

B anim

animi, in hac vel illa parte, quæ tunc magis afficitur, vehementiorem fieri humorum affluxionem, qui in hujusmodi corporis, s: animi æstu, propter illam caloris q. conduplicationem facili negotio consumuntur, terrestreitate seu falsedine relictâ, cui postmodum ulterior calcinatio, vel promptè contingere, & exindè ulcerum proventus succedere potest. Et ità se res habet in omnibus motibus, qui in excessus quodam gradu peccare solent. (3.) *Alimenta* salsa, mordacia, & acria, sive istud Sal vel natura, vel arte insit. De facili enim \ominus centrale potest multiplicari, majoremque flammam, ut *D. Faber* alicubi ait, concipere, & quia est *principium vite nostræ*, in calido & sicco coagulativum, mirum non est, si ejusmodi morbi \ominus ini exusu \ominus itorum producantur. Obiter hîc notari potest, quo etiam *P. Joh. Faber* rationem subministrat, cur pontificii tempore quadragesimali, adventante verno tempore, scabiosi & ulcerosi fiant? scil. quia toto tempore illo, cibus vescuntur salinis, aliisque salitis, quæ \ominus archæi multiplicant, ipse v. auctus, calore proprio coagulatur & expellitur ad cutem, ibidemque pruritus excitat, corrodingo partes: sed nostrò quidè animò $\sigma\upsilon\mu\pi\alpha\theta\epsilon\iota\alpha$ hi vix digni, cum admittendo $\sigma\alpha\gamma\kappa\omicron\varphi\alpha\gamma\iota\alpha\nu$, ab ejusmodi malis possint esse hac ratione immunes.

§. 14. *Immediata externa ulcerum causa*, sunt ea omnia, quæ causticandi partes habent facultatem, ut sunt *cauteria s. actualia*, ut omnia Δ ta, s. *potentialia*, ut ∇ Fort. ranunculus maculosus, flammula \mathcal{L} , plantago ∇ tica, scrofularia major, cantbarides, calx viva, \ominus ♀, \ominus sarmentorum, Ol. \oplus li. tandem Spir. minerales cuncti, hæc & similia, ob calorem, ut *doctiss. Faber* ait, qui ipsis inest, p. n. acria, mordacia & corrodentia fiunt, ità ut spirituose & subtiliter subjectas penetrent partes, easque exulcerent. De aliis rebus non naturalibus (inter quas agmen ducunt vigilie immoderate, item inedia, cura, &c. utpotè humidi suavitatem vehementer depascentes, ac remanentem terrestreitatem velut adurentes) plurima quoque possent dici, sed aliàs nota sunt, ex *Dogmaticorum* principiis.

§. 15. Quæ omnia de ulceribus in genere dicta, licet ad *ulceræ*

raex

ra ex ambustionibus proprie applicari non queant, quia omnia à causis excitantur extrinsecis (nec opus est hic omnia Δta & fermentia recensere) maximam tamen huic doctrinæ afferunt lucem, & scitu necessaria sunt.

§. 16. *Symptomata ulcerum horum* quomodo ex mente *Hermeticorum* producantur, nunc videndum. Ex *Chymico* si quæ siveris, ad quamnam ulcerum classem, *ambustiones* pertineant, respondebit, ad compositorum. Illi n. composita vel complicata vocant ulcera, quæ præter, ⊖ corrosivum, aliis insuper symptomatis, aut *qualitate astrali*, vel maligna sunt prædita, puta, *inflammatione, tumore, pustulis, fætere, torpore, &c.* quæ accidentia non immediate semper à ⊖ caustico dependent, sed ut plurimum etiam ab intemperatura reliquarum substantiarum, ♁ris & ♁ii, *balsamum vitæ* constituentium.

§. 17. Missis aliis symptomatis, ea hîc cōsiderabimus modò, quæ in *ambustis* sunt cōspicua ut, *empyremata, dolor, & pustulas*. Initio quidem simulac ⊖ à *balsamo vitæ* fuerit separatum à rebus amburentibus, acrimoniâ vel corrosivâ potentiâ subjectis partibus statim infestus est: quia n. nervosæ vel mēbrôsæ sunt, præsertim a. cutis & epidermis, hinc gravissimus statim exurgit dolor, ob quē & reliquæ duæ substantiæ ♁ & ♁, vel in consensum trahuntur, vel in perniciem partis læsæ cum ⊖ junguntur. Nam cujuslibet partis ♁, quam alioquin, in esse suo constitutum, sustentat ac vegetat, impatiens corrosionis, vel calcinationis, quæ in ⊖ naturali contigit, ex multiplicato calore, quem ipsi ⊖ calcinatum communicat, præter institutum inardescit, & sic in perniciem partium ambustarum cum ⊖ resolutò ruit, unde omnes *inflammationes* in *ambustis* oriuntur. Nec ♁ius hac in parte quiescit, qui omnibus turbatis, vel dolenti parti ultrò succurrit, ut humiditate suâ Δem compescat, & ⊖is acrimoniam retundat, vel etiam ob dolorem ingentem attrahitur, & tunc nusquam exitum invenit, hinc sub epidermide cumulat, unde *pustule & vesicæ*, vel si cutis in escharam abiit, sub eadem, licet invitus cum ⊖ & ♁e furentibus, combinatur, undè *ulcus tandem δυσίαλον* oritur. Et hæc sunt, quæ doctissimis sane inven

inventis *spagyricorum* pulta de ulcerum productione insinuant. Plura qui desiderat, ex illis ipsis pro necessitate colligat: nos transimus ad alia.

§. 18. Definitione explicatâ, non immeritò etiam de divisione *ambustionum* sumus solliciti. A variis variè dividitur: nostro scopo hæc gemina sufficiat, quæ à *causis*, & *partibus affectis* desumitur.

§. 19. *Ratione causarum* (quæ ut plurimum secundum magis & minus differunt) alia est *parva, major, maxima*, quæ differentia jam è §. 9. possunt innotescere. Prout n. causa est vehemens, vehemens quoque indè solet oriri *ambustio*, & contra. Jam experientia, imò sensu ipso probatur, ea, quæ tenuiorem habent substantiæ modum, tanta comburendi potentiâ non valere, ut: *stramina vel paleæ accensæ* vix leviter cutem stringunt, & interdum (nisi copia ingens adstruatur) sine noxâ comburunt. Quæ v. compactiorem habent substantiam, in quam Δ is intimius se penetrare valet, diutiusque ibi commorari, ut *sunt metalla, mineralia, ligna, pingvia & ferventia omnia*, illa sanè sine vehementissima partium ambustarum pernicie vix agunt. Tandem quoque in *qualitatibus astralibus* magnum latet periculum, quales habet Δ sidereus. Continet n. ut *Hild.* loqui amat, *facultates quasdam supernaturales, hominisq; ingenio abditas*, quibus corpus vivens subito *extinguitur*, quod in curatione *ambustionum* apprimè venit notandum.

§. 20. Respectu *partium affectarum* dividitur in *universalem ac particularem*. Illa est, quandò totum simul amburitur corpus, cujus exemplum notavit *Hild.* simile quoque in patriâ aliquot jam ab hinc annis contigisse, in memoriâ mihi revoco. *vid. Pract.* Hæc, quando determinatæ corporis partes, à quâdam causâ comburuntur. Sic datur *ambustio capitis, faciei, oculorum, manuum, brachiorum, pedum, juncturarum, & inguinum*, de quibus suò locò forsan pluribus.

CAP.

CAPUT. II. DE SIGNIS.

§. 1. Nuncupavimus caput hoc Signis ambustionum, non solum *diagnosticis & prognosticis, sed etiam differentiarum.* *Diagnosin* quod spectat, illa in externis præcipuè ulceribus & præsertim jam factis, de facili potest haberi, sensusque in hujus rei veritatem nos deducere videtur. Dixi in jam factis: alia n. ratio est in fientibus, in his, uti *D. Faber* non indoctè addit, res eò se habet modò, quò in plantarum propullulatione, ubi nondū est cognitum, quænam plantæ sint progerminaturæ. Sicut itaque *Botanici* ex cottidianâ germinum inspectione plenariam tandem acquirunt cognitionem: ita *Chirurgus* necesse est, etiam sæpissimè ægrotantium invisere hospitia, & adjuvantibus observationibus, ulcerum ortum, & species tandem dignoscere, quam insuper cognitionem, multum juvabit quoque ipsa patientis relatio.

§. 2. Quò facilior v. est *diagnosin*, eò difficilior ab autoribus cenetur *prognosin*. Nos à 4. punctis præprimis prognostica desumemus Signa, nempe 1. à corpore subjectò. 2. à causis. 3. à parte affecti à ipsa. 4. à Symptomatis ambustionem concomitantibus.

§. 3. Si corpus sit purum, nec *plethorâ* vel *cacochymiâ* onustum, ambustiones, cæteris tamen paribus, adeò periculosa non sunt, affluxus n. humorum, qui multum hæc in re valet, statim impeditur. Contraria est ratio in corpore contrario.

§. 4. Causæ si fuerint leves, levè etiam caussantur ambustionè, vehementes vehementem. Hinc Medicus statim iudicium ferre poterit de ambustione, quæ stramine, linteò vel aliâ re rarâ inducta est, an sc: facilis vel difficilis sit curationis: Sic & in cæteris, ubi tamen notandum, mineralia Δ ta, quæ suspicionem veneni (quod *spagyrici*, appositè valde, *draconis* titulo insigniunt) in se habent, qualia sunt g nium fusum, &c: contumacissima, periculosa, & curatu difficillima inurere ulcera.

§. 5. *Ratione partium determinatarum* periculosa vel minus periculosa habentur, prout in *nobilem* vel *ignobilem*, in *dispositam*,

tam, vel indispositam partem incidunt. e. g. capitis ambustiones vel faciei per se tanti momenti (ratione tamen ad causam habitam) non sunt, quia tamen connatam partis pulchritudinem interdum deturpant, vel calvitiam, vel cicatrices turpes post se relinquendo, periculosis etiam ac fonticis accensentur: *Oculorum* quoque *acies* non parum hebetatur ex levissima etiam *ambustione*, ut *Hildan.* notavit in homine quodam, qui ex unico pulveris pyretri granulò pupillæ infixò, imbecillitatem visus actutum contraxit. Deinde dixi, periculosa etiam esse ambustionum ulcera in partibus dispositis. *Disposita* sunt, quæ majores venarum, arteriarumque ramulos, quæ majores nervos habent, quæque ob vicinitatem emunctoriorum vel glandularum copiâ humorum excrementitiorum, affluxum adaugere possunt, hinc omnes, quæ vel sub axillis, vel circa ingvina fiunt, sedulam requirunt Medici prudentiam. Maxima n. perniciès ad patientes inde solet redundare. Sic memorat *Hild.* virum circa ingvina ambustum, sterilem evasisse. De ratione nemo potest esse incertus, qui modo partium istarum & subjacentium, spermaticarum sc. constitutionem novit. Partium vasa majora si à calore Δ torum contacta fuerint, statim corrugantur, hinc spiritus & sanguinis impeditur motus, (nervi læsi ut plurimum convulsionem; & paralyin partibus minitantur,) quò impeditò non infrequentèr *atrophia, varices, gangrena & sphacelus* ipse subnascitur, ut experientia *Practicorum* id testantur.

§. 6. Ultimam Signorum prognosticorum differentiam supeditant nobis *Symptomata ulcerum in ambustis*. Nam si ulceratus lipothymia, aut syncopi frequentèr obnoxius sit, si decoloratus & facie Hippocraticâ appareat, si febre laboret acutâ & magnâ: si ulcus ipsum sit profundum, lividum vel luridum, si convulsionem adsint, &c. utique exigua spes reconvalescentiæ superest, nisi præstantissimis & penè divinis medicamentis succurratur. Secus si patiens & ulcus se habeat, non desperandum. Cætera, quæ de signis prognosticis haberi adhuc possunt, supeditabunt auctores.

§. 7.

§. 7. *Differentiarum Signa* vix peculiare requirunt lineas, facile n. semetipsas produnt, imò jam ex præced. possunt haberi; quia tamen peculiarem quodammodo curam sibi deposcunt, ideò methodi curandi causa, hinc brevissimis apponemus.

§. 8. *Primus Ambustionis gradus*, ut plurimum ex circumstantiis & relatione, vel proprio Medici judicio potest cognosci. Ubi siquidem cutis rubicunda, dolor in primis acutus & q. punitivus, ubi quoq; (nisi hoc medicamentis inhibeat certis) pustulæ elevantur, & ∇a limpida sub epidermide cumulat, ibi non obscure, *levem combustionem*, sub esse, effari poterit Medicus.

§. 9. Si v. Δta diutius vel penitius adhærent partibus, illi- cò prædicta Symptōata intenduntur, pustulæ in momento quasi fiunt, humorque sub cuticulâ contentus, subnigricans apparet, & tunc de *mediò ambustionis gradu* non difficultè erit judicare. In *extremâ* tandem *differentiâ* præter intensissimum dolorem, & calorem, pustulæ factæ statim concidunt, cutis livorem & stuporem contrahit, & ulcus post se *δυσίατον* relinquit. Tantùm de Signis!

CAP. III.

DE CURATIONE.

§. 1. Præmissis hisce, videbimus etiam brevibus, quâ ratione malum hoc inductum, debeat tutò, & jucundè curari. Hoc enim patientes de quolibet sibi *Medicò* pollicentur peritò. Videndum itaq; de mediis idoneis, quibus id præstare valeamus.

§. 2. Quodnam primò, quod postremò locò hinc sit agendum, non immeritò aliquis quærere posset; siquidem, quia complicatus hinc est affectus, variisq; stipatus symptomatis, iisq; gravissimis, *Medicum* primo intuitu facile reddit perplexum, hinc etiam varii variè ambustiones solent curare. Nos hinc primariò attendemus *indicationem curatoriam*, non neglectâ tamen *vitali*, quam interdum symptomata, præsertim in *ambustione profundâ*, nobis solent suppeditare. Procedamus à. secundùm gradus *ambustionum*, videndo, quænam medicamenta, respectu etiam habitò ad partes affectas, cuilibet convenient.

§. 3. An-

§. 3. Antequam ad specialia transgredi possimus, gravissima prius decidenda controversia, à multis jam agitata, sed non satis declarata: *An calida vel frigida sint applicanda ambustis?* Sectæ reperiuntur pro utròque. Pro posteriore pugnare videtur tritissimum illud: *Τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα.* *Contraria contrariis curantur*, quò axiomaticè totam se rē confecisse quidam opinantur. *Ast ex institutis* jam notum est, quâ ratione hic canon sit intelligendus. Sc. vox: *contrarius* ità strictè hîc non accipitur, ut quidam malè sibi habent persuasum; sed quando *Medici* dicunt, *contraria contrariorum esse remedia*, vocabulum *contrarius* sumunt pro omni eò, quod *effectivè*, non *formaliter* tale est & affectum morbo contrarium valet inducere, cujuscunq̃ue etiam sit generis, quod, ut rectè *Cl. Sennert.* monet, accuratè loquendo, oppositum diceretur.

§. 4. Priorem quoque multi defendunt, putantque *similia similibus esse curanda*, & empyreumati in ordine ad cætera symptomata, solùm refrigerationem per accidens deberi: adhibent pro inde *calida, dissipantia, resolventia, discutientia*, ut calor empyreumaticus & humores dissipentur, sicuti prunæ, si huc illucque agitentur, pedetentim solent extinguvi. Et ut eò citiùs fidem mereantur, adducunt insuper authoritates, *Fernelii* præprimis, secundùm quem, *Δι' ἰνὸς mali fit alexiterium*, & *Hippocratis* calidorū utilitates describentis. Calida n. emolliunt cutem, dolorem compescunt, ulcera, si opus, ad pepasum deducunt, & poros dilatant, ut sc. inductum empyreuma eò citiùs possit egredi, & transpirare.

§. 5. Frigida v. omnia contrarios in corpore nostrò edunt effectus, cutem à calore Δ torum induratam, & cōtractam magis condensant, dolorem augent, humoresque non rarò in profundum repellunt, ubi deinde magis atque magis incalescunt, & summam malignitatem acquirunt. Eapropter frigida medicamenta planè non adhibenda censent.

§. 5. His è diametro quasi opponit se *acutiss.* *Faber* in sua *Chirurgia spagyrica* taxans dogmaticos istos, qui calida in principio

pio

pio applicant ambustis: hac enim ratione omnia symptomata exacerbantur, adeò ut metus sit ulceris κακον θῆς, imò ipsius spha-celi, quandoquidè, & medicamenti, & partis affectæ calor de facili dissipari potest. Ipse v. præcipit, ut in hoc affectu medicus patienti prospiciat de remedio aliquo frigido & humido, quod destitutum sit spiritu vitæ, vel Δε, & ità calorem p. n. partibus in-hærentem educat, quem in usum præter usitata ex vegetabilibus, ut ∇ ros. nymph. plantag. solani & c. adducit, ∇ ā glaciei, & nivis, & præprimis (qui summum ipsi in ambustis arcanum est) ∇ um ∇ sum omnium rerum, post extractionem spirituosæ substantiæ ex succis omnibus residuum, ut deinceps pluribus dispiciemus.

§. 7. Nos, ut hæc lites pro virili, & salvò aliorum iudicio, componamus, seqq. addemus conclusiones. (1.) *Medicamenta frigida, & præsertim quæ ex vegetabilibus deprompta sunt, quæq; in ambustionibus à nonnullis adhibentur, non sunt absolute frigiditatis, sed tantum respectivæ.* Hinc illæ rationes omnes, quas pro hujus sententiæ rejectione adduxerunt, hic non obtinent, loquuntur enim de illis, quæ absolutè & in superlativo seu summo gradu sunt frigida, quod non debebant. Deinde, tantæ quoq; non sunt frigiditatis, sed potissimum temperatæ, ut in ros. nymph. portulac. solan. & aliis, apparet. (2.) *frigida frigidè ambustis applicata, supra dictos post se relinquunt effectus, tepidè vel calidè, non itè.* Et hoc est, quod omnes ferè practici inculcant. Sic n. dolentes partes fovent, dolorem mitigant, & virtute suâ refrigeratoriâ, qua pollent, egregiè empyreuma educunt. Imò ipsi, qui calida adhibenda in principio censent, refrigerantibus utuntur, ut Ol. ros. amygd. dulc. mucilag. d. Sem. Cydon. psyll. & c. vel certè refrigerantia & lenientia calidis (quæ etiam interdum superantur à refrigerantibus) admiscant, ut in omnibus ferè ungv. videre est. Ubi vicissim dubium hoc quis movere posset, an medicamenta debeant esse naturæ calidæ, vel calida? Si prius affirmatur, affirmatur id, quod est in principio, & quod praxi cotidianæ repugnat. Posterius idcirco tam absurdum non erit, etiam medicamenta refrigerantia tepidè applicare, vel, ut com-

C

muni-

muniter loquuntur, frigidis ambustis mederi. *vid. Fr. Peccett.*
(3.) *aliud est frigefacere, aliud refrigerare*, quod multi hac in cōtro-
versia non observarunt, hinc medicamentis refrigerantibus ad-
scripserunt illos effectus, qui vel solum frigidis, vel certè excel-
lenter refrigerantibus conveniunt, quod posterius, de medica-
mentis aliàs adhiberi consvetis, vix poterit affirmari. Nec puto
hanc distinctionem alicui nullam videri, quandoquidem refri-
geratio tantum dicit reductionem rei nimis calidæ, ad aliquam
proportionem, vel certum gradū caloris ita, ut adhuc quidam re-
maneant, ob quos res adhuc mereatur dici calida, quemadmodū
pultes vel juscula dicuntur refrigerari i. e. nōnullos caloris gradus
deponere, ut palati & partiū per quas meare debent, calori, fiant
accommodæ: frigefactio a. denotat vel omnimodam caloris ex-
pulsionem, vel talem, ut res antea calida, solum tepida nunc
queat vocari. (4.) *illa quæ Faber in l. c. Galenicis quibusdam impu-
tat, qui scil. Ol. ♀, Θ in ✚ dissolut. & c. utuntur in ambustionibus, illud
ferè seculo hodierno exolevit*, ut testantur *Practicorum* libri, nec sim-
pliciter, si interdum opus, præscribuntur, sed admistis aliis refri-
gerantibus. (5.) *calida illa, quæ à quibusdam eliguntur, ut cepæ c.
Θe trita, sapo item venetus, non ratione semper caliditatis profunt, sed
potius, quatenus in se habent Θ, vel virtutem balsamicam, quæ furo-
rē archæi nostri demulcere, & eum restaurare possunt. Quin ipse
Paræus fatetur, cepas potentiā quidem esse calidas, & actu humi-
das, itā ut humiditas possit obtundere calorē, & mitigare in parte
affecta dolorem. Sice, g. in ungv. admiscetur Ol. amygd. dulc.
& alia: nō præcisè ratione caliditatis, sed quatenus habēt virtutē
lenitivam, & anodynam: parile judicium esto, de Ol. vitell. ovor.
d. gum. elem. & c.*

§. 8. Sed satis de hac controversia: nunc erimus solliciti
de remediis, cuiuslibet ambustionum gradui appropriatis, ubi si-
mul etiam (nam omnia speciatim enarrare, nimis foret proli-
xum) *de diætâ, V. S. & aliis medico scitu necessariis* agemus.

§. 9. *Primus gradus* indicat duo, scil: *ut inflammatio tol-
latur, & pustularum generatio, si fieri possit, impediatur.* Per se ita
pericu-

periculosus non est, nisi in partem nobilem, vel dispositā incidat. Illud obtinebit medicamentis refrigerantibus, tepidè vel calide parti affectæ applicatis. Hujus generis multa; occurrunt hinc inde in libell. de materia medic. Præstantiora sunt ∇ , Ol. succ. plantag. rosar. viol. nenuphar. semperdiv. byoscyam. portulac. endiv. &c. Item ∇ simpl. c. \dagger . & ex his factum oxycratum, Cum primis tamen hîc laudari merentur ∇ . spermat. ran. vel etiam ex ranis vivis destill. teste Poterio: is a. præcipue succum spermat. ranar. linteaminum frustulis combibendum & sole seu umbra exsic candum suadet, ita tamen, ut hæc linteola, antequam ambustis adhibeantur, ∇ spermat. ranar. destill. prius madefiant. Rulandus commendat Ol. Δ quod tamen c. ∇ hisce commisceri debet, & quidem in justâ dosi. Prodest hîc & album ovi (∇ . exinde destillata longe præstantior est) coriandr. viride, camphora. Referuntur hîc omnia Ol. analogæ, ut axungia, gummata, resina, medull. mucilag. pulveres deniq; varii, ex rad. plant. & mineral. facti. Ex his & similibus possunt fieri pro exigentiâ affectûs, linimenta, ungv. Emplastra, cataplasmata, Mucilag. vel, si morâ cupiat effugere medicus, & statim ægro succurrere, in promptu talia composita jam habeat, ut Ungv. alb. s. d. ceruss. camphorat. Basilic. nutrit. de lithargyr. ad ambusta, diapompholyg. popul. rosat. &c. Emplastra quoque, ut empl. de ceruss. de spermat. ran. de Lap. calamin. dia Δ , diachyl. simpl. stictic. Croll. Pustularum v. generationi obsunt medicamenta ex hyper. myrt. salv. lil. alb. alth. malv. papav. corniculat. verbase rut. chrysanth. thur. myrrh. &c. Specificè in hac re laudat Fernel. gluten ex tergoribus boum paratum, & in ∇ appropr. solutum. Interdum tamen unô medicamentô duabus hisce satisfieri potest indicationibus, seq. vel alio ungv. quo Hild. sæpissimè usus est, & paratur ex Cap. crud. c. Θ & sap. venet. à quibusdam Succus ceparum ipsis cepis præfertur, ita enim parti affectæ nulla molestia affertur.

§. 10. Possunt ex prædictis à medico prudenti variæ remedium formularum excogitari, ut intentionem suam assequatur. E. g.

R. Muci-

℞. Mucilag. sem. psyll. altheæ, fenugræc. c. ▽. nymph. extract. an. ʒʒ.
Ol. ros. album ovor. nymph. ana, ʒij. boli armen. ʒj (vel loco istius Ter-
ra ⊕ dulc. balsamic.) sacchar. ℞ ʒʒ, vel ʒj. F. Cataplasma. S. Linder-
rungs-Umschlag.

Vel ℞. Ol. ros. amygd. dulc. vel fl. lil. alb. vitell. ovor. an. ʒʒ, c. s. q.
Cera F. Ungv. M. S. Linderungs-Salbe.

℞. Ungv. d. Ceruß. Infrigid. Gal. Santalin. an. ʒʒ. M. S. ut ante.
Huc quoque referri potest Linimentum tanquam presentissimum
& probatissimum remedium Excell. Dn. Præsidis in Prælect. publ.
ante biennium communicatum, quod paratur ex ol. olivar. vel
lini [quod majorem leniendi vim habet] & album. ov. part. equal.
Item

℞. Empl. de Ceruß. malaxetur, Ol. hypericon. vel salv. aut alio ap-
propr. S. Linderungs-Pflaster.

℞. Sem. psyll. lin. altheæ an. ʒj. ▽ nymph. spermat. ranar. an. ʒʒ.
extrahantur, F. l. a. Mucilago S. Linderungs-Schleim.

Palmam tamen inter mucilagines istas præripit illa de Sem. Cy-
don. cum ▽. Spermat. ran. facta, cui pro casu necessitatis aliquid
de sacch. ℞ addi potest. Plura hic addere non libet, siqui-
dem citra necessitatē fieret, qui enim materiam medicam habet
cognitam, facilè quoq; poterit s. a. præscribere formulas.

§. 11. Faber, ut empyreuma educat, & pustulas prohibeat,
præ cæteris commendat ad majorem efficaciam, ▽ am glaciei &
nivis, item, in genere, omnem ꝑum ▽sum post extractionem cujusli-
bet essentia residuum. Privatus namq; est Δe vel spiritu natura-
li, quapropter ambustis maximè videtur accommodatus. Quid
per ꝑum ▽sum velit intellectum, cui libet qui solum à primo li-
mine salutavit chymiam, erit notissimum. Si v. ▽ glaciei & vel
nivis, ut & ꝑ ▽sum non solum velis adhibere, poteris succis, muc-
laginibus, ungv. & cataplasmatibus admiscere. Spectat huc non
immeritò ꝑus (ad quam classem referri etiam poteris ⊕ Ol. quod
Ampl. D. Michaeli in usu est) ⊕ li & alumin. qui non tantum ad
prædictos usus potenter valet, sed insigniter etiam cutem ornat,
ut deinde, datâ occasione, pluribus edisseremus.

§. 12. Dixi

§. 12. Dixi superius, primum ambustionis gradum non esse nimis periculosum, nisi in partem nobilem, ut sunt *oculi, facies &c.* vel dispositam incidat, tunc enim aliquam videtur in curando parere difficultatem; sed qui M. M. callet, statim eam tollere valebit, scil. omnia medicamenta omnibus partibus non conveniunt, idcirco prudenter permiscebit. E. g. si *oculi* fortean comburuntur, non incommodè ambustis medentibus admiscebit collyria, *vid. Hildan.* Postea victus rationem habebit sedulam, nec purgationem, vel V. S. si opus, omittet, ut omnis interea humorum affluxus removeatur. *Capitis* quoq; ambustiones, quia turpes admodum sunt, ob calvitiè quam post se relinquunt, prospiciendum medico, quantum in artis est viribus, ne ad profundam deveniant cicatricem. Tandem *partes nervosæ* omnium ægerrimè violentiam istam ferunt, idcirco statim, ne incurventur, vel alia symptomata secum trahant, aptis tollat medicamentis. Leves juncturarum ambustiones facillimè curantur, si modo *Ol. ad ambusta c. Ol. arthetico* misceantur. Sic non ita pridem sustulimus hujus generis affectum *Empl. d. Melilot. malaxato prius c. Ol. Lin. & Lumbric.* In gravioribus vero jam ad manus sint ferulæ, & alia instrumenta chirurgica, quibus commodè, molliter tamen possint tractari.

§. 13. Una hic fidelia duos possumus dealbare parietes, scil. *quomodo articuli ex ambustionibus incurvati, vel nervi contracti, ad pristinum statum reducendi?* quæ quæstio ad primum gradum quidem non pertinet, sed potius ad tertium: interea quoniam ambustionum, quæ in partibus nervosis fiunt, mentio facta, *συνοψως* hoc quoq; enucleabimus problema. Omnibus aliis sepositis sollicitus erit prudens medicus, ut partes induratae emolliantur, quod *Ungv. vel fotu* obtinebit, si tamen cætera quoq; sint paria, i. e. si sedula victus ratio habeatur, affluxusque humorum vitetur, purgatione scil. V. S. ubi locum habet, & aliis auxiliis. Formulæ seqq. possunt esse:

℞. *Rad. Liquirit. Bryon. althea an. ℥ij. fol. malv. sambuc. flor. melilot.*

lilot. chamomill. hyperic. sambuc. an. M. j. Sem. psyll. fœnugr. ar. ℥j.
coq. in ∇. appropriat. pro fomento.

vel ℞. Ungv. rosat. ℥ij. pingved. suill. urs. an. ℥β. Ol. lumbric.
℥j. M. F. Ungv.

Deinde curabit membrum incurvatum extendi aptis, & ad hanc curam accommodatis instrumentis, qualia jam à *Gvalt Riff. in chirurgia* sunt excogitata, & ab *Hild. in lib. d. Ichorib.* depicta. Laudatus quoque *Hild.* pro re nata in simili casu, elegans invenit Instrumentum, quo mediante pueri cujusdam manum, in qua omnes, excepto pollice, digiti incurvati, & conglutinati fuerunt, felicissimè curavit. Plura, sis, vid. *in observat.*

§. 14. Tandem aliquid etiam hinc agendum de hac questione: *an ambusta à pulvere bellicò perfectè queant curari, ita, ut nulle appareant macule?* Sunt qui negant: sunt etiam qui affirmant. Nos ℞. D. si pulvis ♂lis non profundè partes carnosas penetravit, sed cuticulam modo, quadam etiam ex parte ipsam cutem, & tempori Chirurgus adsit peritus, qui instrumento acuto valeat granula pulveris iterum extrahere, ut deindè pustulæ eleventur, nullus dubito, quin perfectè possint curari, si modo, quod potissimum, in abstersione non peccetur. Tale exemplum habuit *Dn. Faber in Casidico Castrinovidariensi, quem essentia ℥* intra quatrimum perfectè curavit. *vid. ejusd. Praxin. Curat. 17.* Si v. ut *Paræus* distingvit, pulvis iste cutem & partes carnosas sine exulceratione (quod, an sic fieri possit, dubitarem) penetrant, ita ut nullis remediis, vel instrumentis eximi queat, omnino indelebili remanere stigmata opinatur. Cætera, quæ fortè huc spectant ex *Practic. Monumentis* erue, sed & thesin 30. hinc insuper consule, ubi remediis exulcerantibus hanc stigmatum deformitatem tolli posse innuimus.

§. 15. *In secundo gradu* paulò aliter procedendum. Nam cutis, quia jam ex parte indurata & exsiccata est, istiusmodi potentiâ frigida, non admittere videtur, itaq; moderatè calida, & humida eligenda. Antè omnia v. medicus apertionem vesicarum, & epidermidis separationem promoveat, ne humores sub
cute

cute collecti, vehementiorem acrimoniam contrahant, & partibus subjectis exulcerando fiant molesti. Disputant hinc, quando pustulae sunt aperiendae, an statim, an verò elapsis aliquot diebus? Er. Peccettius statuit posterius, hisce adductus rationibus, quia si statim aperirentur (1.) excitaretur dolor (2.) cura retardaretur. Sed dicat mihi, an hae rationes quartâ quoq; die possint obtinere, nec ne? Si possunt: nunquam sunt aperiendae, semper enim sic possem inferre. Sin: cur non primâ quoq; die illud peragam? Et, si verum est, quod ipse ait, nisi aperiantur, exedere partes subjacentes, cur illud non fieri potest ante quartam, & præcisè circa quartam? Dicis: nondum acrimoniam vehementem contraxere, hoc est in principio. Deinde retardatio curæ planè non est metuenda, nulla enim hinc subest ratio. Chirurgus itaque statim sine periculo vesicas aperire, & ne ex ista apertione ulla doloris fiat accessio, seqq. ungv. parti affectæ illinere poterit.

1. Ungv. nutrit. ℥j. Ol. ovor. nymph. an. ℥ss. album. ovor. num. 2.
M. F. Ungv.

vel R. Butyr. s. Oelot. in ▽ spermat. ran. ℥iij. Ol. rosac. lil. alb. nenuphar. an. ℥ss. farin. bord. ℥j. mucilag. sem. psyll. Cydon. an. ℥ss. add. cere q. s. F. Ungvent.

§. 16. Non sufficit a. vesicas aperuisse, sed videndum etiam, quâ ratione affluxus humorum possit repelli, quod defensivis, s. repellentibus erit obtinendum. Prodest hic *Empl. contr. ruptur. d. mastich. ungv. d. bolo. vel seq.*

R. terra sigillat. gum. elem. croc. adstring. prun. silv. an. ℥ss.
Ol album. ovor. ℥i. Cere q. s. F. ungv.

In deligatione hoc observandum erit, ut initium fiat ab infima parte, sic n. ut Hild. putat, facilè possunt repelli humores, quod negotium committimus Chirurgis.

§. 17. Deinde dolor vehementius urgens, quàm in primo gradu, mitigandus est, ne alia symptomata insequantur. Quia n. spiritus vitales dissipat, & absomit, anxietatem & vigilias inducit, mirum non est vitam patientum graviter sæpè periclitari. Hoc, ut evitetur, miscenda sunt *paregorica* reliquis medicamentis.

tis : ad *narcotica* non statim confugiendum, nisi extrema id iubeat necessitas, in dolore scil. incompefcibili, qui tamen in hoc gradu vix locum habebit. Inter anodyna refertur *lac animalium, crocus &c. ungv. anodyn. altheæ, ungv. pectoral. item opium præp. Laudan. opiat.* Utilia hic sunt *cataplasmata.*

R. Rad. malv. ꝑi flor. sambuc. alth. lil. alb. a. M. ꝑ. sem. psyll. lin. à ꝑ. Ol. ros. ꝑi. Coq. in lact. muliebr. & F. Cataplasma.

Si vigilæ à dolore oriantur, ut non raro fit, emulsiones non incommodè propinabuntur ægris.

§. 18. *Tertius ambustionis gradus*, uti periculosior multò est, partim per se, partim etiam ratione partium cui inhaeret, ità etiam difficilior multò curatu est. Varia n. in eo vigent symptomata, illaque gravissima, præprimis dolor, & propter hunc etiam metuenda est affluentia humorum, quæ incendium vel empyreuma, quod aliàs intensum est, adaugere, sicque partes vicinas nativo alimento privare, & tandem mortificationem inferre valent. Et quoniam hæ ambustiones nunquam sine ulcere conspiciuntur, ad hæc dirigenda Medici diligentia, 1. ad *eschare induc& separationem*, 2. *ulceris mundificationem*, 3. *repletionem*, 4. *cicatrizationem*.

§. 19. Defensivis an hic locus detur, non immeritò quæritur? Quia n. transpirationem impediunt, quia nutrimentum adveniens aliquadantenus sufflaminant, quia fuliginum calidarum egressum retardant, meritò suspecta videntur. Verum resp: ante tumorem partis exulceratæ tutò adhuc adhiberi posse. Si v. pars jam intumuerit, & contracta vel corrugata, omittenda, vel discutientia admiscenda, ut *Hild.* monet. Putarem tamen tumorem citius adesse, quàm de aliquo repellentium cogitari posset. præsertim in hoc gradu.

§. 20. Accersitus itaq; medicus prima quaq; die & præprimis ante partis, ut loquuntur, intumescentiam, aperiat pustulas, vel escharam potius, ∇ n. vel humores hic ita conspicui non sunt, ut in secundo gradu. Incisio ista potest fieri scalpello, vel alio

alio instrumento idoneo ut humorū colluvies emanare possit: imò, si absque patientis & partis affectæ incommodo fieri poterit quotidiebus frustula quædam escharæ abscindat, & ne dolor accrescat, *seq. Ungv. adhib.*

R. Butyr. rec. lot. in ∇ psyll. ℥iij. ungv. nutrit. ℥i℥. Ol. ros. album. ov. an. ℥℥. cereæ q. s. f. Ungv.

§. 21. Sequens etiã fomentum non citra fructum usurpabitur.

R. Rad. Malv. ℥ij. Sem. psyll. lin. an. ℥℥. flor. sambuc. lil. alb. an. M. j. coq. in ∇ appropri. vel lacte & applic. calidè.

§. 22. Si v. incisio ob vehementiam doloris suscipi non poterit, emollientibus, & temperatè humectantibus, additis tamen anodynis, promoveri potest prolapsus escharæ. *PARAUS* frequenti usu hoc probavit Ungv.

R. Mucilag. Psyll. Cydon. an. ℥iv. Tragacanth. ℥ij. extract. ∇ parietar. Ol. lil. alb. ℥i℥. Cereæ q. s. f. Ungv.

Poterit etiam medicus plures excogitare formulas, innumeras enim hisce paginis illinere, nostri non est instituti.

§. 23. Sed quid tunc faciendum, si metallo aut minerali fuso, præsertim si venenatæ qualitatis suspicionem illud habeat, ambustio fiat, atque hinc contumacissima eschara contingat? Omnino tunc studiose medico invigilandum, & ea insimul adhibenda, quæ alexipharmaci virtute aut energia specifica gaudent. Angvis enim sub hâc herba & grave periculum vel exitialis eventus certò delitescit. *Excellentiss. Dn. Præsidi* nota est notatu digna historia, quam adscribere non pigebit: *Ipsius intimo nêpe Amico & raræ peritiæ Chymiatro* contingebat, ut in affusione fortissimo Δ liquefacti Znii forte fortuna aliquid delaberetur in summitatem pedis, & hinc insignis eschara enasceretur, ut symptomata alia nunc prætereamus, quæ tunc ferociebant. Incassum sane omnia alioquin probatissima fuerunt tentata remedia, ita ut extrema & Sphacelus ipse jam instarent. Tandem deventum fuit ad Tincturam Znii , quæ invicem habent communem, quæ ad gutt. aliquot cū ∇ . *Spermat. ran. mixta ex tempore q. hunc Draconem expugnavit.*

§. 24. Annectimus hîc non immeritò etiam sollicitudinem, quæ singularis certè requiritur ad curam ambustionis sidrata,

D

ta, vel

ta, vel membrorum à fulgetri ictu percussorum; ut enim tetro hoc fulguris odore spir. & humores, *Poterio attestante. l. 1. cur. c. 43.* in corpore nostro graviter accenduntur, & periculosissimæ febres hinc oriuntur: ita etiam hæc *ambustionis* species sacra est, & curatu vel difficillima, vel impossibilis. ▽am & ol. Cinnamomi tam internè quàm externè in hoc casu notanter admodum commendant *sopbiatri*, qua adhibita dolorem & inflammationem ad miraculum cessare statuunt. Et hoc sanè ab ipso fulguris incendio edocemur, quod affusa ▽ vel superveniente imbre exacerbatur citius, quàm ut beneficium extinctionis hinc accedat. Altero a. Δe quo piam (v. g. Sp. vin. vel ▽ ardente alia; Imò etiam ▽â purificatissimo salino spiritu vel anima, quam sperma elementorum vocant veri Philosophi, essentialiter & radicaliter imprægnata) hæc flammæ calamitas corpori nostro impressa, extingvi poterit, quæ pro dexteritate sua excogitabit naturæ arcanis illūinatus medicinæ practicus. Moniti tamē meliora sequemur, quia rarum hoc thema, nec exacta ejusdem facta expositio.

§. 25. Hac operatione peractâ, ad mundificationem ulceris transgrediendum. Purificatio hæc consistit in suppuratione, & abstersione; illa, uti & hæc, propriam habet materiam; evenit tamen interdum, ut unò indicato duabus possimus satisfacere indicationibus. Proinde summo cum fructu à principio statim digerentibus, admiscenda absorbentia, ne scil. solò suppurantium usu, ulcus nimis humidum reddatur. Materiam horum cuilibet Instit. Med. suppeditabunt, & possunt ex iis variæ præscribi formulæ, ut artis præcepta jubent. Commendatur autem hic *nicotiana*, & omnia ex eâ parata, ut succus, & ungv. *item succus cancrorum*, his medicus mira (uti *Excell. D. Michaelis* mihi aliqu. communicavit.) in hisce affectibus præstare potest. *Hildanus* in robustis, & parte non ita sensili, applicat ungv. *egyptiacum*: ubi v. delicatatis succurrendum, temperat prius *melle rosar.* quod etiam fecit *Zvvölfferus* in *Pharmacopœa August.* qui *mellis cum decoct. plantaginis vel hypericonis* addidit ζ xvj. alioquin, nisi mitigetur, causticum medicamen est. Extollit etiam laudatus

tus

rus auctor mundificativum suum de succo apii, cujus descriptio ex-
stat in lib. d. gangr. c. 19. & est talismodi:

℞. succ. apii, scord. arnogloss. major. ruta an. ℥iv. mell. ros. lb. j. coq.
ad consist. syrup. & add. farin. lupin. pulv. rad. aristoloch. Ⓞ angelic.
vincetox. theriac. an. ℥ss. ▽. vitæ ℥j. M. F. ungv.

alia mundificativa, vid. in disp.

§. 26. Mundificatio sic ulcere, iterum replendum est carne,
beneficio sarcoticorum, de quorum facultate non est, ut hic aga-
mus, multo minus, ut omnia in specie sic dicta, recenseamus.
Præstantiora sunt, farine variæ, tibus, vel manna tburis, resina, gum-
mata, plantæ variæ, ut symphyt. aristoloch. artbamit, hypericon. Ex
mineralibus etiam ℤ, H, cadmia, cerussa, pompholyx, lithargyrium,
alumen, & omnia ex his parata. Attendat a. peritus medicus con-
stitutionem patientis, & frigida temperiei hominibus minus ca-
lida, vel humidis minus siccantia exhibeat, ut sic suam intentio-
nem assequatur.

§. 27. Forma quoque medicamenti solet à nonnullis accu-
ratè observari, & in robustis, ubi caro durior generanda, pulveres
sarcotici præscribendi. E. g.

℞. pulv. aloes. sarcocoll. thur. mastich. litharg. an. ℥ss. F. Pulvis.
pro delicatioribus v. potius emplastra vel ungv. ordinanda, de
quibus notandum, ne nimis sint humida, vel fluida. Sic enim à
calore facilè fundi possunt. Non inutile esset seq.

℞. Terebinth. lacrym. abiet an. ℥ss. myrrhe ℥ss. thur. ℥j. sanguin
drac. gum. elem. an. ℥j. tragacanth. ℥ss. Ol. hyperic. q. s. pro ungv.

§. 28. Non autem eo usque sarcotica applicanda, donec ul-
cus totum carne repletum est, sed quando adhuc paulisper hiat,
abstinendum, & ad cicatrizantia progrediendum, sic n. unâ ope-
rà & caro generari, & cicatrix induci potest, absque eminentia,
quæ aliàs non emaneret. Et hic maximus ante omnia delectus
est habendus epuloticorum, præsertim pro delicatis, ne videli-
cet, sumantur talia, quæ valdoperè & cum mordacitate desic-
cant, sed quæ mediocriter id faciunt, & tamen aliquo modo hu-
meant, quia n. vi Δis, cutis indurata & ♀ partium alimento-
sus exsiccatus, cavendum ne ulterius absumatur, & sic congluti-
natio vulneris, (nulla n. fit absque ♀io isto) prorsus impediatur.

§. 29. Sunt epuloticorum, uti dictum, alia mitia alia fortia, quæ, quia nota sunt, & passim obvia, non libet hic addere plura. *Fernelig* laudat hic maxime *rad. arthanitæ pulverisat.* quæ si mixta fuerit *cum rad. semper vivi*, dicitur sanare ambusta, ita ut etiã cicatrix fallat, quod experientiam penes sit, & aliquã probabilitatem habet, nam si cutis, antequam labia coëant, digitis ol: appropri. inunctis, tractetur, omnino cicatrix vix animadvertetur, nisi maxima fuerit combustio: sed hæc omnia maximam requirunt industriam, insimulque patientiam.

§. 30. Vsu hæctenus ferè probatum est omnibus *ungv. alabastrin.* cujus descriptionem inveniet *B. L. in disp.* quorsum remissus esto. Laudem quoque meretur seq.

℞. Empl. de Lap. calam. ℥ii. axung. humane thymal. urs. an. ℥β. liquefiant. deinde add. Sacch ℥, alum. usti & lithargr. an. ℥i. F. ungv. in mortar. ℞eô. adde mucilaginis de sem. psyll. vel cydon. q. s.

§. 31. Quamvis autem industriã cures ambustiones, tertii præfertim gradûs, remanebunt tamen cicatrices, vel vestigia ulceris, quæ quoniam fœminas & virgines nobiliores, præfertim si in facie vel manu fuerint, turpitudine notant, callere quoque debet medicus qua ratiõne, vel quibus medicamentis possint complanari, ita, ut, si possibile, pristinus faciei nitor redeat. Hoc ut expediamus, disting. inter cicatrices: quædam n. blandis, quædam corrosivis, imo ipsã incisione tandem tolluntur. Priores *emollientibus & conveniente deligaturâ c. Lamina ℞is, & inuncta, facile potest tolli. e. g.*

℞. Axung. humane, ascia, suill. Ol. ros. de cera an. ℥ii. thur. ℥j. succ. lumbric. ℥β. m. f. ungv.

antequam verò inungatur pars affecta, abluenda est prius *∇ à bordei, vel alia appropri. in qua ciceres, vel furfures incoxerunt.* Si vero hoc ungv. emolliri nequeunt, prius hoc de cocto fovenda.

℞. Rad. malv. c tot. ireos, lil. alb. an. ℥j. flor. samb. althea ã. m. j. Sem. psyll. fenugrac. ã. ℥β. coq. in ∇ approp. & post fotum, præscriptum usurpa ungv. & emplastr. accommoda, quæ ex Disp. jamerunt nota.

§. 32. Quæ verò hæc omnia respuunt, illa vel corrosivis vel
noyaculâ

novaculâ aperienda: ast neutrum tutum est, corrosiva n. carnem teneram & partes vicinas facile infestant; nec incisio à nostratibus (licet, si ritè administratur, periculo vacet.) facile admittitur. Si tamen aliquando patiens in incisionem consentiat, chirurgus instructus jam sit, idoneis instrumentis, & medicamentis. Debet a. ista incisio fieri ut plurimum in rectum, vel secundum ductum fibrarum, ne majus inducatur malum. *Hildanus* peculiare gluten & linteamina, quorum beneficio cutem constringit, & vulnus incisum dilatat, excogitavit, quem, sis, vide. *Corrosivis* autem aspectu horridæ cicatrices, sicuti etiam pulvis pyrius cuti impactus omnium certissime deleri & extirpari possunt, sed magna tamen cum cautione & perita manu hic medendi modus erit administrandus, ne ex charybdi incidamus in scyllam; rationem procedendi describere non licebit, quoniam non nisi per *autopsiam* hac ipsa doceri potest.

§.33. Ut autem nitor & color pristinus redeat, fugiendum ad cosmetica. His enim medicus (loquor de cosmeticis licitis) fœminarum & virginum favorem, quæ per ætatem pulchritudini student, optimè sibi conciliabit. Præter *vas* & *pulv. ex vegetabilibus* & *mineralibus*, præstantiora sunt hæc: *Essentia viper.* *Essentia cucum. agrest. nuc. moschat. Ol. Jasmin. Cosmetic. ex ♀, ex fell. Taur. Magist. h. c. Ol. ♀ præcipitat; Excell. Dn. D. Mich. cosmet. ex Tinct. benz. sibi commendatum habet: item cosmet. ex cancr. & Talco*, cujus, ut *Hartm.* in *Crollium* habet, rite præp. ʒj, ʒo, vel 100. coronatis potest venire &c. quæ si ritè adhibuerit cum aliis, felices omnino experietur progressus, quod & nobis aliquando contingat! *Excellentiss. Dn. Præses* hic interim utitur *sua Tinctura Talci, vel Mag. etiam ejusdem* cum utilitate satis exoptata, quorum præsidiorum beneficio, cutis egregia succrescit lævigatio

§.34. Et h. m. ulcera ex ambustione, tractata optimè, factis faciendis, sanari poterunt. Sed non possum non etiam spagyricorum, præsertim *D. Fabri* experimenta h. l. adducere, quoniam non solum jucundæ, sed & citissimæ sunt operationis. *Z.* & *H.* hoc in affectu ipsi utramq; faciunt paginam, non excluso

quoq; ♀ auxilio. Nam quia *balsamus vitæ s. arcæus* noster ira q. fervet, tentant eum blandis conciliare medicamentis, & præsertim ☉ calcinati acrimoniam tollere, in superque pabulum sive ♀um vitæ, restaurare, quod laudatus *Faber etiam in curat. 17.* feliciter præstitit.

§. 35. Magnificat autem *Butyrum H*, seu verum *ungv. nutritum*, ita, ut audeat illud vocare arcanum in omnibus ambustionibus. Præparatur illud h. m. & calc. H. sive *Minii q. p. dissolv. in † destill. optimo, dissolutionē filtra, & clarifica, deinceps misce c. Ol. appropriato, & agitando reduc ad consistentiam butyri*, potest etiam c. *Ol. vitell. ovorum* hæc dissolutio agitari, in quo ante aliquid camphoræ fuerit dissolutum. Et sic habebis salutare auxilium, quo multum in defectu præstantiorum poteris præstare. Pari ratione in *Chirurgia* sua gratum medicamen ex calce calcis *crebris lotionibus à ☉ suo caustico liberata paretū, & Ol. appropriato illitū*, communicat. *Fernelius ca'cē, ☉ suo adhuc gaudentē in ∇ byoscyami* applicare jubet, forsan hanc ob causam, quia putat, acrimoniam in calce latentem, à frigiditate istarum ∇arum obrusum iri, sed an effectus esset responsurus intentioni, foret expectandum.

§. 36. Præstantissima v. illi sunt medicamenta ex *Z. H & ♀* quorum Essentias vel Ol. mirum quantum, experientia edoctus, deprædicat. Et quoniam cura hujus morbi in centro ♀ delitescit, Ol. vel Essentia ♀ optimè hic proderit. At hæ operationes, sunt nimis prolixæ & operosæ hominemq; totū requirunt, propterea videatur *Myrothec. spagy. Fabr. Excell. Dn. Preses tanquam specifica sibi hic habet Tincturā ☉ balsam. vel etiā † destill. ♀ c. ☉*, quorum arcanorum unum is cū ∇ alb. ov. vel sperm. ranar. debito modo miscet & apponit; item etiam is ipse hic commendat suū *Ol. ☉ ☉ eum, cujus aliquot guttule cum ∇ appropriata mixtæ magno cum solatio partibus ambustis apponuntur: subest ipsi etiam peculiaris ∇. balsamico-traumatica, quæ præsentissimum effectum adhibita sistit.*

§. 37. Diætam quod spectat, circa 2. & 3. gradum, monemus, ut ægri ab omnibus, quæ ☉ calcinatum multiplicare valent abstinere, ut sunt cibi omnes falsi & acres, motus omnes nimii, aër frigidus, qui in universum ulceribus infensus est, vinū etiam, quia ☉ est naturæ, hic proscribitur. Reliqua de purgatione, V. S. scarificatione &c. prudens medicus urgente necessitate non omittet.

Ne

NE verò detur in hisce pagellis vacuum, hæc supplementi loco addere Corollaria allubescit.

I. Physiologicum. *Temperamentum à complexione distinguendum utique, illud n. à qualitatibus harmonia, hæc ab humorum prædominio determinatur.*

II. Anatomicum. *Vasa Lymphatica D. D. Bartholini sunt meræ nervorum, eaque subtiles propagines, ut Excell. Dn. Præses statuit.*

III. Botanicum. *Radices, antequam planta flores, ac semen conceperunt, ad medicaminum compositiones sunt colligenda: alioquin marcida & senio confecta, hoc est, virium juvenili vigore erunt orbata; ideoque malè faciunt illi, qui radices tempore autumnali colligunt.*

IV. Pathologicum. *Dolores nec à qualitatibus, nec à solutione continui proveniunt immediatè, sed ab Archæo seu Spiritu impetum tunc faciente principaliter, & ut sic loquar, centraliter.*

V. Semioticum. *In præfagio mortis vel certò restituenda sanitatis cautissimus debet esse Medicus, quia nusquam fallendi occasio magis, quàm hic, in proclivi.*

VI. Ἰγνείων. *Majorem gratiam deberi Medicis affirmabat Demades, qui ingruentem morbum arcerent, quàm depellerent jam sævientem: Siquidem magis optandum, non experiri malum, nec expositum esse periculo, quàm liberari eo. Summatim: Die Kranken seynd ihres Lebens nit sicher.*

VII. Diæticum. *In Dieta præscribenda, & vetandis iis, quæ non adeò convenire imbecillitati ægrotantis videntur, aut coctum minus facilia sunt, tam rigidâ lege ac imperio utendum non est juxta tenorem Aphor. Hippocr. aph. 50. Sect. 2. quem tu hic applica B. L.*

VIII.

VIII. Therapeuticum. In paroxysmo febrili potenter refrigerantia malè porriguntur, quia sic turbatur natura in certamine suo contra morbi hostilitatem suscepto, quod nullo alio instrumento aut armis perficere potest, quàm energià caloris, materiæ morbificæ coctionem & edomationem ex voto accelerantis.

IX. Pharmaceuticum. Pharmacorum confectio & ejus doctrina est armata & essentialis Medicinæ pars, propterià ab ipso Medico exercenda.

X. Chymicum. Arcana Chymica aut Medica quævis, non revelanda iis, qui à Musis & ingenii acumine sunt alieni, nec dandum est porcis ferculum è margaritis.

XI. Cosmesticum. Verum Talci oleum datur, quod & pretio, & raritate, & virtute sua inter omnia Cosmetica principatum tenet. Repagula tamen Talci nequâquam reservari queunt, nisi aquâ siccâ Sophorum, & terrâ virgineâ ad summum puritatis culmen deductâ.

XII. Chirurgicum. Venæ sectionem in febribus malignis, & earum vel principio, vel augmento, vel vigore certo exitialem, sæpiusque feralem esse pronunciamus; Naturæ etenim arma sic infringuntur, & malignitatis pernicies à circumferentia ad vitæ centrum quàm citissimè perducitur. Dùm enim per V.S. subtractum sanguinem continuo resarcire conatur natura, à primis viis & organis naturalibus sanguificationi dicatis, materiam necessariò petere cogitur; cum autem fomes & focus malignitatis circa naturales hos ductus, ac viscera, ut plurimum resideat, ratio in promptu est, cur hic ipse malignitatis nidus violenta q. suctione quâdam ad fontem vitæ deveniat & ita periculum ejus inevitabiliter pariat.

S. D. G.